

debeant dicendum est, bifariam ergo ex ratione cognitionis & operationis, & generalis & specialis. Cognitionis ergo, quia multum differt scire an aqua sit bona, vel mala, & quid conferat boni, & quid mali, velut cognoscere vinum bonum, aut prauum, aliud longè est, quam scire proprietates eius, aliud est etiam cognoscere in genere, quòd bona sit, aut mala: hoc enim generale est omnibus, & quòd bona sit huic morbo, vel illi, aut quòd conferat huic operationi, vel illi. Diximus enim in superioribus quòd aqua plurimum nocet, aut iuuat in operationibus & morbis membrorum naturalium: aër autem spiritualium & animalium, & hoc est per se clarum, sed in genere: in specie autem, veluti si dicamus, quòd aquæ malæ efficiunt hydrophem, splenes daros, dysenterias, & similia, & propterea videtur Hippocrates præposuisse detrimenta aëris detrimentis aquarum: vel quoniam aër noceat ventribus superioribus, aqua inferioribus, vel quia detrimenta aëris sint plura in numero ratione generis, vel quoniam sint maiora: homo enim potest statim mori, percusso cerebro, vel corde, non ita de iecore, vel quia aër sit communis, aqua non ita. De aquarum igitur origine atque natura primum dicere oportet, tum differentiis earum generalibus, ortu sitique, vtilitate, ac eiusmodi, seu enim ad vitam illius, seu ad magnitudinem, seu ad vsum respicimus, haud indignum fuerit facere lectionem de eà, quum multi de longè vilioribus libros conscripserint. Primum ergo dico, quòd aqua est elementum liquidum humidum, temperatum. Quod enim sit elementum Aristoteles dixit, & alij antiqui, & nos fateamur, non vt de igne, quòd sit liquida, sensu patet: quòd humidum à liquido differat, patet: nam sal in aquam resolutum, & chalcantum, acétum & vinum etiam sunt liquida, non tamen potestate humida: sed de aqua quòd humida sit, patet ex balneo: nam corpus molle redditur, sitis extinguitur, somnus conciliatur, ex potu autem humectatur homo, & sitis sedatur.

At quòd non sit frigida, sicut dicunt, saltem in comparatione ad hominis vsum potestate (nam de actu talis est, qualis sit, vt vinum, etiam oleum & similia) ostenditur ex operatione: neque enim refrigerat iecur, aut pulmonem, aut ventriculum excalescentem, velut succus portulacæ, aut endiuia: quinimò bile scit & amarescit: grauat autem & status gignit, & neque posset facere quod Galenus fatetur, vt excalescentos refrigeraret, in frigidatos excalesceret, nec transiret ex minimis portionibus medicamentorum calidorum, vt modici piperis aut pyethri ad caliditatem, si esset frigida, lib. de Marco, cap. 7. in fin. Hoc quanti est in opere quum secundum istos aqua illa refrigeret, constat autem experimento, quòd manifestè calefacit, & omissis argumentis coniecturalibus Aristotelis, de coniugationibus, quum elementum sit manifestè frigidum, id est, caliditate destitutum sua natura, adducam solum id quod videtur verisimile, scilicet quòd aqua calefacta breui semetipsam ad propriam frigiditatem reducit, igitur non nisi ob naturalem frigidita-

tem. Sed quum hoc accidat in vino, pudet me eorum, reducant enim se ad actum naturalem, quum omnia elementaria sint actu frigida, & à substantia & continente reducuntur ad propriam qualitatem. Dico autem aquam esse frigidam, solum comparatione ad hominem leuiter, etiam non simpliciter, quia est facta ad nutrimentum, & tale debet esse temperatum, & simile ei quod nutritur, frigida autem actu quum sit elementum, aër autem potestate non indiguit, actu autem frigidus: tamen quia tenuius, tum vt calorem animalium refrigeraret.

Primæ aquarum differentiæ sunt tres, imbrifera, quæ ex aëre: marina, quæ salsa est, & è terra orta, cuius duæ sunt species, naturalis, quam vocamus dulcem, & metallica vt aluminosa, ferrea, sulphurea. Imbrifera sunt quinque species, pluuiialis, grandinosa, niuosa, pruina & ros. At verò marium solum vnum, quod Caspium vocatur, non communicat reliquis: sunt autem quinque, Sud, siue oceanus borealis: Nort, siue oceanus australis: ista tamen duo maria committuntur inter se, angustis freti Margaliani iuxta antarcticum circulum, iuxta verò æquinoctialem magis minimo isthmo diuiduntur, adeò vt naues traducant Hispani ex vno in aliud mare. Quartum est rubrum iuxta sinum Persicum & Arabicum. Quintum Mediterraneum, in quo Sicilia, Sardinia, Rhodus, Creta, Cyprus. Sextum est Pontus Euxinus, pars tamen huius maris, sed sita vltra paludem Mæoticam, ita Caspium seorsum est, oceani tres & duo Mediterranei, seu partes illius. Meritò igitur quæritur cum aqua marina & salsa langè maior sit quam dulcis: quare non potius aqua marina vera aqua censenda sit quam dulcis, seu fluminum, & lacuum: nempe & hoc membrum aqua quod à terra oritur, diuiditur in flumios, & lacus, & stagna, & paludes, & fontes, & puteos, & cisternas, & riuos, & aquam collecticiam. Sub puteali plus continetur aquarum, quam omnibus aliis membris, quoniam tota aqua, quæ sub terra est. Dicemus ergo aquam maris non magis esse aquam quam terram, sed mixtum quoddam, sicut etiam terra mixtum est quoddam ex terra & aqua, in hoc superante terræ substantia in mari aquæ: quum ergo aqua etiam pura sit, scilicet quæ fluit: nam pura conseruari non poterat nisi flueret, idcirco verisimile est & terram puram esse, quam ex coniectura existimamus esse circa centrum dutam, ponderosam, & vt dicebat Galenus, similem adamantini. De situ autem aquæ, quomodo permixta sit terræ opportunum est. Si enim aqua terræ permixta est, cur non descendit, cur non putrescit, & si fluit sub terra, cur non trudentur meatus illi, experimentum docet, quòd ipsa aqua sub terra fluit, vbi cavitatem habeat, sicut videmus in puteis: & propterea verisimile est quòd aqua perpetuè destillet sub terra, & vbi cavitates inuenerit sensim erodat, & humus dehiscat, quod verò est in mari, eleuetur à Solo & à ventis dispergatur, & descendat cum pluuiia, & erit quinta vtilitas ventorum, non quòd aqua maris, vt quidam dicunt, per cauernas transeat sub terram, cum mare sit in humiliori loco, & vt